


NUMMI CASTRENSES

ALTER LEONIS X. PONT. MAX.

FRANCISCI MARIÆ ALTER, URBINATIUM

Ducis: cū dum bellum invicem gere-
rent. Anno Christi

1517.



EO X. Pont. ex causis nonnullis, sive quæsitis, sive oblatiis, Franciscū Mariam Rovoreū Urbinatium ducē bello aggressus, omni sua ditione exturbaverat: & Laurentiū Medicem agnatum suum, quem majore indies imperio dignitateque auctum cupiebat, rebus imposuerat. Rovoreus patriā extorris, præterea sacrorum usu prohibitus, amicorum opes & auxilia sollicitabat. Ex omnibus maximè idoneus visus est Fridericus Gona- ga Borolensis regulus, qui ob vetera amicitiae jura, non deserendum il- lum esse ratus, quod & bellicæ gloriæ cupidus esset: & Laurentium ex offensa quidam odisset, defensionem amici principis, & augendæ laudis, & vin- dictæ ab inimico sumendæ, materiam libens arripuit. Ejus suasu facile in consortium adducti sunt præfecti aliquot militares, qui assiduis bellis, & oppidorum direptionibus assueti, pacem æquis animi ferre non poterant. Igitur ad Rovoreum se conferunt Hispani ad 5000. pedites octingenti levis armaturæ equites, cum suis ducibus, armorum usu nobilibus. His copijs